

**Quaestiones medicae duodecim, ab ... Petro Rideux [et al.] ... propositae in
aula episcopali Monspeliensi coram ... Francisco Le Noir, ... Pro regiâ
cathedrâ vacante. Per obitum R. D. Gerardi Fitz-Gerald ... / Quas, ...
propugnabit ... diebus 13, 14 & 15 mensis Martii anni 1749. Thomas
Fitz-Maurice, D. M .M.**

Contributors

Fitz-Maurice, Thomas, active 1749.
Rideux, Pierre, 1674-1750.
Ecole de médecine de Montpellier.

Publication/Creation

Monspelii : Apud Joannem Martel, Universitatis Medicinae Typographum,
1749.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dtsmahm5>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under
copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made
available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial
purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. F. F. Q. S.

QUÆSTIONES MEDICÆ DUO DECIM,

AB

ILLUSTRISSIMIS VIRIS

R. D. PETRO RIDEUX DECANO
Venerando, ANTONIO MAGNOL, HENRICO
HAGUENOT, JACOBOLAZERME, ANTONIO
FIZES, FRANCISCO DE SAUVAGES,
Regis Consiliariis, Medicis, & Professoribus Meri-
tissimis.

PROPOSITÆ


IN AULA EPISCOPALI MONSPELIENSIS
coram Illusterrimo ac Venerabili D. D. FRANCISCO
LE NOIR, Theologiæ Doctore, Canonicus, Theologo, &
Archidiacono majore Ecclesiæ Cathedralis Monspeliensis,
Abbate Sancti Salvatoris Lodovenensis, Vicario Generali &
Officiali.

Pro Regiâ Cathedrâ vacante.

Per Obitum R. D. GERARDI FITZ-GERALD, Regis Consiliarii,
Medici, & Professoris Meritissimi.

*Quas, Deo favente, & auspice Dei-parâ, propugnabit in Augus-
tissimo Monspeliensi Apollinis Fano, triduo integro, manè & serè,
diebus 13, 14 & 15 mensis Martii anni 1749.*

THOMAS FITZ-MAURICE, D. M. M.



MONSPELII,

Apud JOANNEM MARTEL, Universitatis Medicinæ
Typographum. 1749.

D E O
UNI ET TRINO,
VIRGINIQUE
D E I P A R Æ,

D. D. D. C.

THOMAS FITZ-MAURICE, D. M. M.



QUÆSTIO PRIMA.

*AN PASSIO HYSTERICA ET HYPOCHONDRIACA
sint Morbi congeneres & eamdem curationem expostulent?*

HYPOCHONDRIACI Viri & hystericae Fœminæ, tensivos & sæpè peracutos experiuntur in abdome dolores immanem ejus intumescientiam, ructus nunc acidos, nunc nidorosos, borborygmos, vomitus aut vomendi conatus, & adstrictam sæpius alvum. Accedunt mox capití dolores, vertigines, aurium tinnitus, membrorum tremores ac subsultus, tetra insomnia, cordis palpitatio, dolor renum calculum mentiens, urinæ lympidæ toto insultū tempore, pectoris angustia, globi in abdomen motitatio, & ad œsophagi superiorem partem ascensus, strangulationis sensum inducens: quod ultimum in Fœminis frequenter, in Viris, raro licet, aliquando tamen observatur; constans ferè mortis metus & perpetua de malis querimonia. Nequè his solis, nequè omnibus simul coripi Hypochondriacos omnes, omnesque Hystericas credas velim: nequè in illis æque intensa ac in his esse existimes. Utriusque affectūs pathognomonica habebis signa, si ructibus & borborygmis quinque posterius memorata adjungas symptomata.

Plùs metus quam periculi vulgo secum afferunt ambæ hæce passiones; quæ, ut ex symptomatum enumeratione patet, similes adeò existunt ut vix ovum ovo similius censi possit. Omni tamen periculo vacare dicendæ non sunt, præfertim cum convulsiones & animi deliquia frequentius procreant. Prop-

4

ter pertinaciam & crebriorem redditum Medicorum flagellum & opprobrium jure dicuntur. Causam utriusque materialem non alibi quam in totius systematis nervae tensione & vibratilitate nimiâ cum sanguinis diathesi siccâ, acri, & quasi resinosâ, quærendam esse, suadent practicorum observata, symptomatum natura, & ex assignato solidorum fluidorumque statu facili negotio deducenda explicatio, ac tandem causæ antecedentes; quæ solent esse, innata ad melancholiam dispositio, vietus ex crassis, viscidis, crudis, falsis, piperatis, parciior potus, vita deses, animi contentiones assiduæ, & violentiora pathemata. Ad malum hypochondriaco-hystericum mitigandum in eo totus esse debet Medicus ut sibi primùm conciliatâ Ægroti fiduciâ, metum illi excutiat si fieri possit, mox stomachicis, ut plurimùm minoris energiæ emendatâ ventriculi labè; dum humorum massam absque grandioris excandescentiæ metu, levioribus dividit aperientibus; dum sero lactis, balneis domesticis & aquis acidulis diluit, lacticiniis & mucilaginous è regno animali desumptis edulcorat; fibris nerveis pristinam restituat flexilitatem. Hâc methodo, adjunctis moderato exercitio, & mentis exhilaratione, tutius quam aliâ quâcumque extrâ paroxysmum mitigatam fuisse symptomatum recensitorum ferociam, jam multoties iterata probavit experientia. In paroxismo præstantiora non sunt auxilia quam fœtida naribus admota variaque ex opio præparata, vel sola exhibita, quandò scilicet torquent dolores aut spasmi; vel cum cardiacis maritata ubi languent vires, frigetque corpus, & quod tanquam specificum considerari potest in hocce casu castoreum.

Ergo Passio hysterica & hypochondriaca Morbi sunt congeneres, & eamdem curationem expostulant.



QUÆSTIO



QUÆSTIO SECUNDA.

*An Erysipelatibus periodicis sit adhibenda Medicina
vel non?*

TUMOR qui parùm elatus, diffusus, vix unquam circumscriptus, calore acri, pruritu dolorifico stipatur, & colore roseo, quem fugat premens digitus, sublatâ pressione citò reversum, & à parte in partem facile serpit, febremque habet non raro comitem, Erysipelas audit. Simplex allatis tantummodo stipatur symptomatibus. In composito medium tumoris tenet phlegmone Skirrus, aut œdema, dum margines occupat Erysipelas; tuncque pro coniuncti tumoris indole diversâ phlegmonôdes, skirrôdes, aut œdematôdes nuncupatur. Complicatum vocant quod comitatur aliis morbus, cuius sœpè est symptomata, partem ab Erysipelate plûs minùsve remotam infestans. Internum vel externum facit sedes diversa; benignum vel malignum constituit symptomatum diversa indoles. Accidentale sœpiùs observatur; habituale singulis annis vel mensibus, sœpiùs aliquandò recurrere visum fuit Sanguinis acris & vix inspissati in minimis arteriis sanguiferis difficilis transitus, ejusque ingressus in tubulos lymphaticos cutis, membranarum & muscilorum cùm auctâ vi cordis trusivâ causam hujus morbi continentem ponit. Difficilis transitûs causas ex nonâ quæstione desumes; acrimoniæ verò causas dabunt, innata sanguinis constitutio, victûs ratio, pravæ digestiones, insensibilis transpirationis, & urinæ secretio cohibita, menstrua & lochia suppressa. Erysipelas externum cum aliis tumoribus confundere nequâ quam poteris, si sedulò attendas ad symptomata his & illi essentialia: verùm non adèò facilis tibi erit diagnosis Erysipela-

tis interni. Periculi expertem esse hunc tumorem pronunciabis si febre nulla, nullove alio mali moris symptomate stipetur; secus verò plus minusve formidandum dices pro febris intensiori aut mitiori gradu, aliorumque symptomatum numero & vehementia. Resolutione ut plurimum terminatur Erysipelas, quod optimum, aliquando induratione, quod minus bonum; raro suppuratione, quod malum; mortificatione saepius quam optandum, quod pessimum. Quod solâ vi vitæ non resolvitur Erysipelas, sanare poteris, si præscriptâ diætâ tenui pro febris vehementiâ, Ægri viribus & temperamento, regione & anni tempestate, parcius aut abundantius extrahi cures sanguinem ejus æstum moderatè refrigerantibus compescas, aut spissitudinem levioribus incidentibus, & diluentibus tollas; si tandem, qui in primis viis nidulantur pravos succos oris amarore & febris exacerbatione, facili negotio detegendos, totâque Medici attentione dignos, emeticis aut cathartico-emeticis, penitus elimes. Topica aut nulla aut pauca, eaque cautè admovebis, oleosa & repercutientia, cane pejus & angue vitabis.

Jam verò ut ad propositam quæstionem proprius accedam; quoniam Erysipelata periodica vi vitæ noxios humores extrorsum pellenti natales debere existimo illamque servato regimine sufficere ad sanguinem vix inspissatum discutiendum, nisi symptoma aliquod mali moris artis auxilia expostulet, totum opus naturæ est committendum. Sed quia observaverunt Viri expertissimi ab hujusmodi Erysipelatis tandem enecari Ægros, prudentis est Medici, ad recidivam avertendam, humorum discrasiam emendare, vasaque referare obstructa. Unde intelligitur sub quo respectu concludam.

Ergo Erysipelatis periodicis adhibenda est Medicina.



QUÆSTIO TERTIA.

An Curationi Febrium continuarum æquè confert Cortex peruvianus, ac confert curationi Febrium intermitentium?

FEBRIS quâ frequentior nullus occurrit morbus, queque aptè definitur præternaturalis & constans pulsûs frequen-
tia, nunc essentialis, nunc symptomatica, continua est vel in-
termittens. Durat illa donec ptoinûs fuerit debellata, hæc
datis induciis, seriùs ociùs revertitur. Illa brevis, acuta, len-
ta, modò uno tenore sua percurrit tempora, modò statim in-
certisve exacerbescit, variaque accipit nomina, à causâ, ut
inflammatoria, laetitia, biliosa. A symptomatibus, ut ardens,
algida. A more seu indole, ut maligna. Intermittens, quo-
tidiana, tertiana, quartana, &c. Audit pro ut singulis, aut
alternis diebus, vel quartâ quâque die recurrit. Alias utriùs-
que nomenclaturas ut prætermittam jubent arctiores scripti
limites. Cordis frequentior contractio causam dat continen-
tem, illa natales debet, vel stimulo in quâcumque corporis
parte, vel difficiili transitui sanguinis per quædam vasa mini-
ma. Stimulum pone, succusso prætermodùm toto genere
nerveo accelerabitur necessariò sanguinis circuitus; ad cor fre-
quentiùs appellantia liquida contractions ejus quoad nume-
rum augebunt. Consequenter ad difficilem transitum sanguinis
per nonnulla vasa minima, auctis cordis viribus, majori ce-
leritate per canales liberos ad cor trudentur liquida, & nisi
obstet ingens nimium illorum spissitudo aut copia, illius visce-
ris dilatationes ac proindè contractions accelerabuntur. Auxi-
liatrices hîc præbent manus præter naturam distenti vasorum
parietes validiùs sese contrahentes. Sicut à stimulo semper dif-
ficilis efficitur sanguinis transitus per vasa minima, ipsamodi-
cè scilicet constrictis illorum parietibus, ità ab illo difficulti-


transitu sœpè oritur stimulus, ingurgitatis nempè vasis sanguiferis in parte quæ exquisito admodùm sensu gaudet. Stimulant vel vices stimuli gerunt secantia, pungentia, distrahentia, acria, ingestæ, vel exteriùs applicata, pus, & sanies, &c. resorpta. Difficilem habebis sanguinis transitum per vasa minima independenter à stimulus, quotiescumque particularum ejus diameter vasorum diametrum excedet naturalem, quod pendere in Febribus arbitramur. 1°. A materiæ viscidæ, plūs minùsve particularum acrum involventis nunc continuâ, nunc interpolatâ miscelâ cum sanguine, sive eam suppeditent primæ viæ quod frequenter, sive à vasis lymphaticis in ejus oceanum redeat. Eundem effectum parit frigus subitò suscepit. 2°. A compressione quam debilioribus præsertim minimis vasis inferunt majora à rarefacto propter acris materiæ adventum sanguine dilatata ultrà modum.

Febris signo suo pathognomonicō in definitione tradito dignoscenda, et si à nonnullis tamquam naturæ conamen spectetur, periculosa tamen censenda est; principio enim vitali directè adversatur. A continuâ majus, ab intermitenti minus imminet periculum. Ab illâ eò majus, quò pejora symptomata. Hæc ut plurimùm pertinacior & quartana quam tertiana, autumnalis quam vernalis. Vasorum ulteriorem infarctum & crepaturam, venæ sectionibus in summo æstu celebratis præcavere, primum est, quod Medico in quâcumque Febre tractandâ agendum incumbit; mox causæ primariæ habita ratione aut stimulus ejusque consectaria anodynīs tollere, aut humorum rarescentiam refrigerantibus compescere, tandem stabulantem in primis viis faburram, emeticis vel catharticis, vel ambobus everrere debet. His prudenti manu adhibitis, feliciter debellari observantur Febres continuæ quæ puris, sanie, aut corrupti seri cum sanguine miscelam pro causâ non agnoscunt. Non idem de intermittentibus est pronunciandum, hæc siquidem præter recensita auxilia ad perfectam sui medelam febrifuga ut plurimùm expostulant, inter quæ primas tenent cascarilla & cortex peruvianus, qui, vel solus exhibitus, vel cum

9

usu opus est , vi quâ pollet stomachicâ & dividenti ventriculi labem emendat , & superstitem materiam febrilem tenacem incidit vi vitæ forâs amandandam. Et plusquâm millenis constat observatis eum adversùs ejusmodi febres itâ valere , ut jurè tamquâm specificum vulgò decantetur. In febribus autem continuis quarum exacerbationes à frigore exordiuntur , licet ad remissionem producendam , aut reliquias materiæ febrilis discutiendas felici cum successu sæpè fuerit adhibitus , observarunt tamen celeberrimi in arte Viri se eo in febribus intermittentium quarundam paroxysmo suo æmulis incassum usos fuisse : Docet observatio in inflammatoriis , quæque à stimulo pendent , febribus non solum non prodesse , sed & plurimùm nocere.

Ergò curationi Febrium continuarum non aequè confert cortex peruvianus ac confert curationi Febrium intermittentium.



QUÆSTIO QUARTA.

An Ganglioni & Lupiae resolventia cum humectantibus?

QUOTQUOT à lymphâ aut congeneri humore producuntur tumores , vel cystide carent , vel sibi proprio involvuntur sacculo , his quamquâm varia dederint nomina Authores , accurate tamen si perpendantur , ejusdem reperientur esse indolis , nec nisi ratione sedis , aut diversæ humoris collecti consistentiæ ab invicem discrepare.

Tumor durus , indolens nisi validâ prematur vi , cuti concolor , ad latera tantum mobilis , circâ articulos manuum & pedum , raro alibi , in tendinibus gigni solitus , vulgò ganglion vocatur. Hoc ovi gallinacei magnitudinem raro exuperans , vix unquam à solâ lymphæ spissitudine ortum dicit;

C

sæpius à causâ quâpiam contundente aut distractiente, quæ fibrarum tendinearum & intertextorum vasorum lymphaticorum tonum frangendo, efficit ut lympha in propriis vasis, aut in fibrarum tendinearum interstitiis, aut in vaginæ cavo pedetentim collecta, morâ & vicino concrescat calore præterim si præ innatâ aut adventitiâ labe ad spissitudinem concipiendam jam fuerit disposita.

Ganglion recensitis distinguendum signis, per se licet nihil portendat periculi, quoniam artûs in cuius vicinia collocatur motum aut lædit, aut summoperè lædere potest, à Medico non spernendum est. Ejus resolutionem obtinere poteris si initio & antequam summum duritiei gradum fuerit adep-tum, sæpius digitis salivâ madidis contrectari jubeas, laminâ plumbeâ mercurio illitâ, comprimi suadeas, aut quod forte melius, emplastro ex partibus æqualibus de mucilaginibus & de vigo quadruplicato mercurio cooperias, & dum lympham hæ-rentem sic dissolvere satagis, generali humorum lentori humectantibus & levioribus incidentibus tollendo studeas: ultimâ hâc methodo ganglion in parte anteriori humeri, à quo paralyticæ factæ fuerunt manus & ulna, simùlque paralysim sanare mihi contigit. His incassum adhibitis suadent non nulli, ut ferro extirpetur tumor, hancque operationem & à Solingio & à semetipso fæliciter sæpius celebratam fuisse tes-tatur Heisterus: verùm propter pericula quæ à puncto ten-dine oriuntur; si unquam, non nisi ubi in ejus vaginæ cavo sedem habet ganglion extirpandum esse existimo, illudque sum-mâ cum cautelâ.

Lupia quo nomine tumores omnes tunicatos, sed minùs rectè comprehendenterunt nonnulli, tumor est rotundus, mol-lis, à meliceride parùm abludens, variæ magnitudinis, unicâ nunc, modò latâ, modò arctâ nunc multiplici basi innixus, cuti concolor, à dolore immunis in omnibus corporis partibus sed frequentiùs in capite, facie, & circâ majores articulos oriri solitus. Efformatur à lymphâ aut humore consimili ins-pissato, in propriâ cystide collecto, accumulationem parit.

Nunc glandularum , vasorum lymphaticorum , aut cellularum , simulque superstratae cutis innata , aut à contusione inducta debilitas , nunc lymphæ spissitudo , nunc utraque causa : spissescit lympha à victu ex acidis , crudis , viscosis , vitâ desidiosâ , meditabundâ , & tandem à labe hæreditaria . Periculi licet expers sit ratione sui in genere hic tumor , in suppuratum & in cancrum abiisse non absquè summo ægri discrimine obser-vatus fuit . Exiguas non solùm , sed & magnæ molis resolutione sanatas fuisse lupias cum ex Medicorum scriptis constet , hanc , antè aliud quodcumque auxilium tentare decet , eaque supralaudatis , ubi de ganglio tam internis quam externis medicamentis , cavendo nè dolorem procreent hæc ultima , promoveri debet : quibus nisi optatus succedat eventus ægro satisfacturus , aut notabile aliquod incommodum sublaturus Medicus , tumorem eradicare si cupiat nihil obstantibus , nec provectioni ætate , nec fractis Ægri viribus , nec tumoris nimia mole , pedunculum , ubi arctior est , filo ligabit , nodum-que singulis diebus constringet , donec exsiccatus cadat tu-mor , vel basim , ubi latior est , quam ligaturam admittere possit , novaculâ penitus excindet , vel tandem , quandò basis ejus-dem est diametri ac reliquus tumor , (Modò operationem non prohibeant aliquod ex pædictis , ampliora , vicina , aut tu-mori intertexta vasa sanguifera) , sectione longitudinali aut cruciali apertis integumentis , saccus cum contentâ materiâ evellendus , & excitatâ suppuratione vulnus tamquam sim-plex tractandum .

Ergo Ganglion & Lupia resolventia cum humectantibus.





QUÆSTIO QUINTA.

An Hæmorrhagiæ omnes sistendæ.

SAnguis sive cum impetu erumpens, sive guttatum stillans à quâcumque corporis parte, recepto jam usu Hæmorrhagiæ facit. Mirum quot ex locis emanare visus sit liquor ille. Ex oculi cantho, extremis digitis cruribus, femoribus, & totâ corporis peripheriâ; sed frequenter è naribus, pectore, ventriculo, intestinis, vaginâ, urethrâ viam sibi ad exteriora cedere solet. Nec ullum est corporis vas sanguiferum ex quo vulnerantia, dilacerantia, contundentia sanguinem educere non possint; solutas concipe sanguiferorum tunicas, eò usque dilatata secretoria & excretoria vasa ut rubros possint transmittere globulos, aut hos admodum divisos Hæmorrhagiam subsecuturam videbis. Solvuntur tunicae à causis externis suprà memoratis, à sanguinis acrimoniâ & ab ejus impetu major quam ferre possit illarum resistentia; quod fiet auctâ ejus mole aut rarescentia, aut imminuto illarum robore: dilatantur secretoria & excretoria vasa à copiosiori priùs appellente fecer- nendâ materie, quam sequuntur globuli rubri initio pauci & minores, mox plures & maiores. Huc igitur spectant omnes utriusque plethoræ & acrimoniæ causæ, cuncta quæ vasorum parietes quocumque modo debilitare & quæ globulos sanguinis discerpere valent.

Qui superfluo humore vasa liberat, sanguinis effluxum, modò ex magno vase non erumpat, in genere criticum cendum esse suadet ratio, probat experientia, quâ compertum est, ejus ope non solum inumeros præcaveri morbos, sed & periculi plenos fuisse debellatos, eumque præpostere cohibitum plurima secuta fuisse mala. Hoc nomine ut plurimum insigniri meretur narium hæmorrhagia in juvenibus, fluxus hæmorrhoidalis.

dalis in adultis & licet non tanto jure, hæmoptisis & vomitus cruentus in Fœminis, quibus supprimuntur menstrua, lochia. Ex adverso qui copia non exuperanti sanguine vasa spoliat, sanitatis integritati adversatur, & periculosus censendus est; periculum diversum ponit natura, diameter, & situs vasorum ex quo dimanat sanguis, emanantis indoles, causæ diversitas, Ægri ætas, & morbi natura cui supervenit Hæmorrhagia, sic qui ex vase magno, vel compressionis, aut ligaturæ nescio, qui è minimis effluit si summè fit dissolutus sanguis, multùm formidandus est, & sæpè mortis causa; sic qui humorum acrimoniae debetur phtisim plerūmque producit, sic tandem quæ in variolis per anum, nisi quam citò sistatur quæ per miectum cruentum omni invito remedio Ægrum jugulat Hæmorrhagia. Regulam quæris quâ salutarem, à noxiâ distinguere possis, accipe. Ab illâ oppressæ reviviscunt vires, fugantur mala quibus torquebatur Æger: ab hâc frangitur corporis robur, omniaque sequuntur imbecillitatis virium conseq̄taria. Noxiæ Hæmorrhagiæ sistendæ cupidum, prudentem Medicum à venæ sectionibus celebrandis non deterrebit languidus Ægri status, præfertim si revulsioni detur locus; actu vel potentiam frigidis non parcer, qui ex puro fonte salutaris praxeos hauserit præcepta, ubi accusandus venit minùs sanguinis æstus, nec mucilaginosis simùl & vi adstringenti pollutibus neque cujuslibet generis edulcorantibus, ubi humorum acrimoniae natales debet morbus: iuum hic locum habent purgantia sed mitiora; nec exigui est emolumenti animi & corporis quies, præstantissimos producit effectus laudanum. Manui chirurgicæ ubi patent vasa aperta, si minoris sint diametri stipticis utere, si majoris compime, aut filo constringe, si autem horum nullum agere possis, candens admove ferrum, non neglectis aliis auxiliis, cùm à sanguinis vito disrupta fuerunt vasa. Liquido cùm jam patet Hæmorrhagias dari omni nomine utiles quarum vices ideo gerere non possunt venæ sectiones, quod frustra natum ab evacuatione cui est assueta deturbare velles, jure concludo.

Ergo Hæmorrhagiæ omnes non sunt sistendæ.

D




QUÆSTIO SEXTA.

An Convulsionibus Narcotica?

QUÆ corpus totum aut aliquot ejus artus tendendo, flectendo, aut mirùm in modum diitorquendo, partium situm mutat, functiones varias turbat, variis morborum nominibus originem dedit, convulsio, constans, vio enta invita musculi contractio optimè definitur. Fluat lympha nervea constanti rivulo & majori multò copiâ, quàm solebat in statu sano, aut quàm postulare videtur præsens corporis status, animâ non imperante, vel in omnes musculos partis alicujus motibus dicatos, vel in congeneres tantùm plures aut pauciores, vix salutatis Antagonistis, aderit convulsio vera: spuriā & vix spasmi nomine dignam fieri concipies cum resoluto, secto, aut summè debilitato Antagonistâ, intactus musculus licet majorem solito non accipiat fluidi nervae copiam, in sui sensum trahit membrum, cui alligatur. Uberior in hunc quàm in illum musculum fiet lymphæ nerveæ influxus. 1°. Propter inæqualem origini nervorum illatam compressionem à cranii compressione, tumore intus genito, vasis sanguiferis dilatatis, pure, sanguine, sero in ejus cavo collectis. 2°. Quòd solùm ad propositam quæstionem spectare videtur propter stimulum impactum parti alicui nerveæ ob fibrillarum numerum, tensionem, & exilitatem exquisito sensu gaudenti, docet enim observatio à stimulo uberioriis advocari fluidum nerveum, non solùm in stimulatos nervos, sed & in eos qui cum iisdem mediatum, aut immediatum habent commercium; stimulant, præter ea de quibus in quæstione tertia, urina, vermes, meconium, acrimoniâ peccantes alvinæ,

fæces, aër expansus, dentes è suis alveolis erumpere conant-
tes aliaque benè multa. Convulsionem ab hâc ultimâ causâ
dignoscere summè interest; Medicum docebit doloris præsen-
tia, & signorum absentia quæ cerebri infarctum denotant.
Universalis convulsio particulari pejor, quæ partes cerebro
vicinas musculos respirationi famulantes obsidet, cæteris pa-
ribus periculosior eâ quæ alias partes aggreditur. Convulsionis,
quàm parit inæqualis nervorum compressio, tractandæ me-
thodum ex therapeiâ vulnerum capitî, epilepsia, & hydro-
cephali depromes; illi autem, de quâ agitur efficaciùs me-
deri non poteris, quàm illud, quod stimulat, aut stimuli vi-
ces gerit tollendo, quod exequi poteris auxiliis è curatione
generali inflammationis desumendis, ubi membranæ inflam-
matio morbum parit; gingivarum sectione, ubi dentes in
causâ sunt; oleofis & mucilaginofis, ubi meconium aut acer-
rimæ fæces, anthelminticis, ubi vermes quibus posterioribus,
ablato, aut mitigato dolore, succendent purgantia varia pro
re natâ; ab hypercatharsi ortam lethalem quamvis esse pro-
nunciaverit Hyppocrates sanare tentabis oleofis & acidis;
puncto tendini oleum terebinthinæ calidum instillabis, dimi-
diatim sectum prorsùs secabis, vulnus cum strangulatione di-
latabis, urinam in vesicâ collectam catheteris ministerio edu-
cere conaberis: verùm cum, teste experientiâ, nulla sint me-
dicamenta quæ efficaciùs quàm narcotica nervos laxando, ir-
ritationi suscipiendæ minus idoneos reddant, non solum aliis
remediis tutam sternant viam, sed & sæpe Convulsionem
penitus tollant, concludere meritò licet.

Ergo Convulsionibus Narcotica.



QUÆSTIO SEPTIMA.

*An cystis vomicæ Pulmonum sit pars organisata & quomodo
formetur?*

Duplicem vomicæ pulmonum speciem admittendam censeo, alteram quæ lympham inertem, & aliquatenus inipissatam propriò involutam sacculo continet; alteram in quæ pus laudabile in cystide pariter coacervatur. Illa à Melliceride vix abludit; Hanc inter, & abcessum nullum video ponendum esse discrimen ratione materiæ collectæ, sed tantum ratione modi quo fit collectio, tertiam ex utrâque compositam qui admittere voluerit me abluctantem non habebit. Illam furtim irrepentem suspicari poterit Medicus, ex dolore pectoris gravativo, tussi siccâ, & levi respirandi difficultate, quæ utrâque exasperant exercitia, sed levare nequeunt, quæ ad hæc symptomata debellenda adhiberi solent medicamina. His signis adjuncta Febris lenta, anxietates, odor fœtidus ex ore emanans, prægresso præsertim sputo cruento, alteram speciem aliquatenus denotare possunt. Primam diù admodum gestare potest Homo, absque summo sanitatis dispendio, ita docentibus Authorum scriptis, ab illâ tabidus sæpè occidit, aut in Empyema delabitur, raro perfectam experitur medelam; ab utrâque rupta ictu oculi citius suffocati visi sunt ægri.

Prioris speciei originem deberi crediderim eisdem causis à quibus alibi producuntur tumores lymphatici tunicati, vide Quæstionem quartam, cum hoc discrimine quod hîc vix locum habere, arbitrer contundentia, nec alia quæ exteriùs agendo, partium contextum debilitant. Ad purulentam producendam prævia in pulmonib[us] necessariò admittenda est inflammatio quæ ob mitiorem sui indolem & obtusum visceris sensum vix ac ne vix quidem detegi potest. Ab hâc disruptis quibusdam

quibusdam vasis integra sanguifera validius oscillantia sanguinem, lympham, fimbriasque vasorum ruptorum atterendo, attritu intimè miscendo pus efficiunt quod ex officinis suis professione vicinâ expulsum lente colligitur, & collectum vaginam fibi adsciscit.

Cystidem jam quod attinet in vomicâ lymphaticâ, illam à nodoso vase lymphatico sensim & sine sensu à proprio humore dilatato aut cellulæ unius pluriumve intermediis discisis clavistris à lymphâ guttatum illuc depluente parietibus dilatatis efformari minimè dubius assero. Præfractè tamen negare nolle à lymphæ partibus crassioribus, à centro ad peripheriam propulsis & adunatis Cystidem procreari posse, cum ex actis Societatis Regiæ Parisiensis constet ex pulmonibus, hepatis substantia & abdominis cavo extractas fuisse cystides, in quibus, nec microscopii ope, nec alio quocumque tractandi modo ulla organisationis signa detegi potuerunt, sed hæc rara. Purulentæ vomicæ cystidem parietes esse unius, ubi minor est collectio, vel plurium cellularum vesiculos inter aereas positarum, ubi major, aut tandem ipsam membranam quâ testibus Malpicio & Helvetio unusquisque pulmonum lobulus contegitur, ubi maxima est vomica, pure hic eodem modo collecto, quo lympham è suis vasis stillantem colligi superius dixi; nequam autem vas esse lymphaticum autumo. Verum inquis unde nam cystidis spissitudo? in primo casu ab ingurgitatis ejus vasis pellucidis nutritiis, in posterioribus ab eadem causâ & forte ex eo quod cellularum fragmenta & ipsæ vesiculæ pneumaticæ applanatae à liquamine contento parietibus cystidis applicata accrescunt. Cystidis ruptionem promovendam esse clamore, cantu, risu, tussi, ipsoque exhibito emetico suadent eximii Practici, ut bechicis & abstergentibus detur locus, quæ aperto sacculo, aut sola, ut in lymphaticâ, aut cum lactici niis maritata ut in purulentâ, curationem aliquando absolvunt. Verum ubi magnam esse vomicam denotant symptomata, aut plurimum fractæ sunt ægri vires, cum à ruptione minaret non leve suffocationis periculum, melius est nihil.

moliri. Monere hic , non abs re erit, nunquam ruptâ licet vomicâ expectandam esse , cicatricem integrum donec tota fuerit expulsa cystis.

Ergo cystis vomicae Pulmonum ferè semper est pars organisata & modis supra allatis formatur.



QUÆSTIO OCTAVA.

An mola , uti Fœtus , nono mense excludatur ?

FAbularum avidum vulgus , omni vel ipsius verisimilitudinis specie orbata , pro veris adhucdūm hodiè in nonnullis locis venditare non pudet , de molarum vitâ , necnon diversâ figurâ , volitantes alias , alias sub adstantium sese abscondentes vestibus , visas fuisse testantur credulæ nimis mulierculæ ; vorato Fœtu sanguisuga illa animalcula prima egredi arbitrantur , aut viæta à Fœtu interire. Ad populum phaleras. Amoto quæramus seria ludo.

Ab imperfectâ fæcundatione ortam informem massam , carneam , ossibus orbam , molæ nomine insignierunt omnes ferè vetustiores Medici. Recentiorum , quoad maximam partem , scripta evolventi , modò tibi videbitur , ex utero exclusas hujus modi informes massas , aut istius visceris excrescentias esse carneas , aut grumosum sanguinem , vel placentas , excluso Fœtu , in utero retentas , & formam ejus adeptas (a) modò arbitraberis embryonem citò post fæcundatum ovum , pabuli defectu exsiccatum , & ad nihilum quasi redactum fuisse , dum secundinæ variam in molem acrescant (b) Non rejectâ pri-

(a) Ruisch. Kerckring.

(b) Rideux apud act. Societ. Regiæ Paris. Ruysh. Moriceau.

mâ neotericorum sententiâ , neque iis reluctans , qui moles illas cum Ruyschio pseudomolas appellare cupient ; posteriori de verâ molâ eò lubentiùs adstipulor sententiæ , quod 1°. rationi consentaneum sit compressio aut distorto fune umbilicali , obstructâ in eo inclusâ venâ , crassiori facto sanguine à placenta adveniente , aut aliâ quâcumque de causâ quam augurari arduum est , exilissimum embryonem pabulo defraudatum obliterari debere ; aut , licet grandior extiterit aliquatenus , à compressione uteri & vicinarum partium , præ molitie suâ , valde obsequiosum , in informem cartilagineamque substantiam redigi posse , dûm placenta cæteraque defuncti Fœtus (si sic loqui fas est) involucra , toto ejus gaudent nutrimento . Quod 2°. septimestribus inclusum secundinis exsiccatum Fœtum , & embryone à quindecim tantùm diebus formato non majorem viderit Moriceau (a) , in massâ pisciformi , quam pro suctore illi obtrudere volebat obstetrix , Fœtum inclusum invenerit Kerckringius (b) respectu temporis , quo in utero remanserat , exiguum admodum . Quod tandem Ledelius molam carneam cum rudimentis capitis & oculorum se observasse testetur . Pacatè adeò in fœminarum sinu latuerunt molæ , ut post longam annorum seriem absquè ullo sui dato indicio , inopinanter fuerint exclusæ ; dûm alias veram graviditatem itâ mentitæ sunt , ut nisi summè cautus deceptus fuisset circà diagnosim Medicus . Menstruorum suppressioni , nauseæ , vomitui , inappetentiæ , abdominis intumescentiæ , nè fidas . Univocum vix aliud reperies spuriæ gestationis signum , præter ponderosæ totius molis motum corporis motibus obsequiosum , & præterlapsum multò , absquè partu , naturalis gestationis tempus cum prægressis , & adhuc superstitionibus signis veram graviditatem mentientibus . Urinam non raro protinus suppressimunt molæ , & cum torminibus parturientium dolorum æmulis excluduntur , antecedente non raro hæmorrhagiâ uteri , & sublequenti ferè semper lochiorum ef-


(a) Observ. 696.

(b) Bibliotheca Medica Mangeti.

fluxu. Noxas si nullas inferat mola, nihil moliendum; si nè contrà à longiori ejus in utero morâ, quam ab ejus exclusione, majus futurum periculum videris, expelle si valeas emeticô, purganti medicamine, aut stimulantî enemate, venæ sectione in talo, aut validis emmenagogis, vel manu obstetricantis extrahi jubeas, si nihil sit quod obstet, emollito, priùs uteri ore.

Fœtus nono ut plurimùm mense excluditur; non idem de molâ dicendum, nullum siquidem fermè reperiri potest temporis spatum ab uno ad vigenti annos, quo molas & pseudomolas non gestatas fuisse testentur magni nominis Viri, & omni fide digni (^a) septimo & octavo mense se innumerâs expulsas vidisse asserunt alii. Neque inter quam plurima in quæ incidi de hâc re Authorum observata, plura quam duo reperire mihi contigit Zacuti nempè & Ledelii, quibus constat binas molas nono mense exiliisse.

Ergò mola, uti Fœtus, nono mense non excluditur.



QUÆSTIO NONA.

Inflammationis Ossium naturam, sedem, causas, eventus, signa, curationemque exponere.

MOrbi, de quo pauca apud Authores & cuius causa in intimâ partium substantiâ altè adeò sepulta jacet, ut nec oculis, nec ratiociniis sæpè attingi possit, donec absolutâ strage, nulla supersit perfectæ curationis spes, historiam, ex imposito munere traditurus, veniam Lectorem enixè rogo, si rem minùs acutare exequar. Ossæ substantiæ inflammationem

(^a) Aristot. Ruisch. Pare. Hildan. Skenck. Rideux. Hoffman.

solam si tractandam susciperem , paucissimis foret absolutum opus : unde proposita quæstio postulare videtur , ut agam , & de eâ , quæ partes ad Offa pertinentes adoriri solet.

Offium inflammationis , non secùs ac aliarum partiū , natura posita est in tumore , dolore , calore & rubore , eamque erysipelas inter & phlegmonen medium tenere arbitror , & tardo gradu procedere , ob lentum sanguinis motum per vasā à corde admodū remota & tortuosa plurimū.

Sedes est periosteum externum ex innumeris & exilissimis fibrillis nerveis summè tensis , vasis sanguiferis paucioribus , lymphaticis pluribus compaginatum ; cartilago extremis Osseis sibi mutuò inarticulatis affixa ; Ossea substantia versus extrema cylindricorum posita , ubi lamellæ laxius sibi mutuò adhærescunt , & numerosiores rami arteriosi reperiuntur ; minimè verò substantia compactior , nisi præcesserit causa lamellas Osseas sejungens , aut fibras adeò emolliens , ut non amplius vasorum sanguiferorum præternaturali dilatationi invictè resistere possint ; diploë ; periosteum internum externo textrâ simile , sed tenuius & multò obtusiori sensu donatum ; membrana cellulas Osseas in extremis cylindricis excavatas & succo medullari plenas interius obvestiens ; parietes cellularum membranearum oleum subtile continentium , in cavo Offium oblongorum reperiundæ ; membrana has omnes circumvolvens , cuius sunt propagines , à periosteо fortè interno distincta , sed ei structurâ & sensu similis.

Causa continens est subitanea sanguinis hærentia , seu difficilis transitus in minimis memoratarum partium arteriis sanguiferis , ejusque sæpè in lymphaticos ductus ingressus , auctâ vi cordis & arteriarum trusivâ : Ponitur hæc obstructio ab auctâ particularum mole , aut ab imminutâ vasorum diameetro , aut ab utrâque simul causâ . Particularum molem adaugent frigida æstuanti corpori applicata , & coagulantia fervidis humoribus immixta ; vasorum diameter minuitur à comprimentibus & irritantibus . Quæ verò hic loci hos effectus frequentius producunt , præter generales , causæ remotæ sunt inf-

pissatum meditullium à Viru venereo scrophuloſo ; ſuccus medullaris ſimiſ modo inquinatus & accumulatus, ſanguifera vi- cina comprimens ; exoſtoſis extùs intusvè genita ; lympha synovialis, medulla aut analogus illi humor medullaris à Viru ſcorbutico, aut cancroſo, forte à venereo acrimoniam adeptus, vel etiam à longiori morâ ; pus perioſteo extero diū incubens.

Repetitis vaſorum oscillationibus, impaſtus atteritur ſan- guis, ad reſtam circulationis normam reducitur, quod op- timum, ſed rarum, ubi ab aliquo Viru inquinata exiſtunt li- quida. Ruptis nonnullis ſanguiferis integra validiūſ oscillan- do, ſanguinem, lympham, laciniasque vaſorum miſcendo, pus faciunt non laudabile quidem, quod hīc, propter pau- ciora & debiliora vafa ſanguifera, expectare non poteris, aſt ſaniosum & olei rancidi odorem ſpargens cum in interioribus fuerit confeſtum : Verūm ubicumque genitum, formidanda, ut plurimūm, procreat mala ; vel enim os denudatum pe- rioſteo relinquit, vel, quod mitius, carnes ſuperſtratas depaſ- cendo, fiſtulam, ſinum, aut ulcus producit ; in articulo con- cluſum, in dies acriūs factum, cartilagine exesā, cariem vix ſanabilem relinquit ; ſimile quid evenit, ubi in cellulis ſub- tantiaē cellularis collectum latet, & à fortiori, cum in Oſſium cavo, ubi omnia corrumpit, deſtruit, ſpinæ ventosæ dat ori- ginem ; cum ſanguine mixtum febrem parit lentam ; diſrup- tā maximā infarctorum vaſorum parte, vel omnibus uſque adeò ingurgitatis, ut ſyſtoli exequendae imparia evadant, in parte tandem extinguitur vitæ flamma.

Lugendum non dari ſigna, quibus Oſſium inflammatio, ubi- cumque ſedem habeat, certò cognosci poſſit ad diros ejus eventus avertendos. En quæ ab Authoribus traduntur. Perioſtei exteri inflammationis comes eſt ſummè excrucians dolor con- vulſionis aut febris parens, non niſi à compressione validā exasperandus, niſi defiſt densæ ad contegendum carnes ; tumor expan- fūs, cuti concolor. Minūs acutus in articulis dolor, cartilaginem inflamatam deſignat ; profundior & terebrans, nullā compref-

sione externâ adaugendus dolor , exercitiis & lecti tepore exasperari solitus , in ossis substantiâ , aut altiori loco sitam esse inflammationem arguunt ; præsertim si adsint à viru aliquo sanguinis inquinati indicia ; sed hæc ultima , quam fallacia norunt , quos non latet , quanti à solâ Ossium intumescentiâ lentè factâ , perennes producantur dolores .

Ab omni inquinatione immunis si existat sanguis . Eadem Ossium inflammationi mederi poterunt auxilia à quibus debellantur aliarum partium infarctus inflammatorii ; venæ sectiones nempè prudenter iteratæ ; quæ sanguinis æstum compescunt : quæ spissitudinem ejus diluendo , magis quam dividendo tollunt ; quæ dolorem sedant ; quæque primas vias everrunt ; raro autem cum accidat impuros non existere humores , præmissis præmittendis , nisi quæ viru profligando apta nata sunt , adhibeat medicamina , quorum Historia hujus non est loci , oleum operamque ludet Medicus .



QUÆSTIO DECIMA.

An Chirurgia Curtorum vera sit vel fictitia & quas operationes tūm theoreticas , tūm practicas ?

QUâ labiis , auribus , aut naso mutilatis , abscissas restaurari partes afferunt nonnulli , Chirurgia Curtorum appellatur : hâc si Authoribus fides , non solum ex proprio , sed & ex alieno corpore desumptâ materiâ resarcitæ fuerunt ablatae partes ; hæc vera sint , necne ex sequentibus patebit .


In suspensam cutem , quâ biceps brachii obtegitur musculus , adacto cultro , à subjectis partibus ita separabatur cutis , ut sub eâ quasi sub ponte , duobus extremis , superiori scilicet & inferiori reliquæ cuti annexo , transmitti possint lintea , stylus , aliaque id genus ; excitatâ suppuratione sanabatur vul-

nus. Cutis jam callo densior facta ad proportionatam resarcendae parti longitudinem & altitudinem, imo, paulo maiorem, denuo scindebatur in parte superiori & post aliquot elapsos dies, (superficie ejus & extremis Curtarum narium refricatis donec efflueret sanguis) immersis in vulnus naribus, futurae ministerio adjungebatur cutis tradux ; capiti firmato stricte alligata brachium, ulna, manus immota tenebantur, donec circa vigesimam diem, firma cicatrice, naribus adnata cutis penitus, à brachio abscederetur, dupli in loco, intermedia columnā, quam cum refricato labio superiori conjungere oportebat, perforanda, & narium figuram à multiplici adhibito artificio adeptura. Tædiosam hancce operationem ex non minus tædiosa Taliacotii descriptione desumptam, diris stipatam doloribus, plurimisque obnoxiam periculis (vel ipso fatente illius acerrimo defensore suprà laudato, qui solus de hâc, quod noverim, ex professo scripserit ;) Medici & Chirurgi exercitati prorsus succedere non posse existimant, teste Heiftero.

Dissociatæ ab elongatis utrinque vasorum angulis, sibi mutuo intersertis, junguntur partes, dum secta transversim vasa retrotraæta in fibras facescunt solidas. Ad cicatricem ergò producendam in utrâque parte requiritur vitalis motus; labrum vulneris cordi propinquius alteri nulla suppeditat liquida, quæ à collateralibus, aut subjectis vasis integris, subministrantur. 1º. Tradux ergò cutis dato, sed non concesso, quod cum naribus cicatrice conjungi posset, soluto vinculo, quo alligabatur brachio, quod solum pabulum subministrabat, omni jam nutrimento orbata, emori cogeretur, & in putrilaginem cadaverosam abire, nisi mumiarum instar balsamis condiantur; quod factum non lego. Plurimum igitur abest ut carnes expellere possit, cum granulis è labro superiori pullulantibus intricas. 2º. Vasorum cutis naribus assutæ elongationi obstat debent narium cartilaginiæ. 3º. Tradux cutis exsiccatis quaod maximam partem vasis suis cum curtis naribus vix conjungi posse concipitur, sed potius uno extremo tantum brachio

chio alligato protinus exsiccari; illud futurum afferit Talicotius, nisi in ætate virili traducatur, id est, antequam penitus exsiccatur, ipsius hic utor verbis; vel potius emori instar majorum carnis frustulorum, quæ, latâ licet innixa basi, citò mortificatione corripiuntur in operatione, gallicè *Amputation à Lambeaux*; præsertim cum toto tempore quo vulneri immersæ manent nares, à pure, sanguine & muco narium hic necessario colligendis, vix fieri potest, quin in vasis ejus sufflaminetur vitalis humorum motus. Idem accidere debet vasis subiectis; vel acria facta illa liquida obvias quasque partes exedent, docente praxi, horum alterum accidere vulneribus, è quibus ad exteriora puri non patet via. 4°. Propter molestum brachii situm, diros inde oriundos dolores, & parcam escam pessimumdari debent omnes humores, & cunctæ functiones laedi. In aliis resarcendi curtis partibus, adhibenda methodus ab hâc parùm discrepat, & jam allatas difficultates eludere nequit. Accedant nunc hujus methodi fautores, quoniā 1°. Eorum observata, quoad maximam partem, alia ex aliis sunt exscripta. 2°. Eorum ferè nullus se operationi adfuisse testatur; & eo ipso dubium fit an partes curtorum Chirurgiæ resarcitæ fuerint; an verò solâ vasorum curtæ partis evolutione, destructo viru, quo inquinabantur liquida; quod non semel hâc in urbe factum vidi. 3°. Tandem quod iis magis fidere non teneat, quam Chirurgo apud Bartholinum narranti, se à tormento bellico hypochondrii itâ ablatam carnem, ut illius viscera introspicere liceret, carne vervecinâ, quæ fortè ad manus erat, restaurasse, & hâc Chirurgiæ Hominem restituisse; vel illi de quo apud Sennertum, testanti, ex Servi brachio excisum frustulum nobilis viri curtis naribus adaptatum triennio post, ægrotante servo, doluisse; mortuo, excidisse. Pace eorum concludam.

Ergo Chirurgia Curtorum vera non est, sed fictitia ob rationes, tum theoreticas, tum practicas.




QUÆSTIO UNDECIMA.

Tinnitus Aurium theoriam exponere.

Admirabili partium structurâ conspicuum auditûs organum obnoxium est morbis, quorum causas, vix aliter quam ratiociniis, assequi potest Medicus; horum numero meritò adscribendus est Aurium tinnitus, qui, pro varietate soni, quem percipiunt ægroti, bombus, susurrus, vel sibilus audit, & aptè definitur molesta soni perceptio citrâ causam externam; sive idiopathicus sit, sive symptomaticus, simplex sive complicatus easdem in interioribus Auris agnoscit causas, quas pro virili enucleaturus præmitto, 1°. Ad variorum quoad acutiem & gravitatem sonorum excitandam in animâ ideam requiritur ut molles nervi acoustici fibrillæ tonis consonæ plures paucioresvè intrâ datum tempus edant vibrationes; has mutuatur ab aëre labyrintho inclusò, quem vibrat aér exterior, intermedio eo, quem continet tympani cavitas. Externo aëri vibrationes impertiuntur corporis sonori partes insensiles, ut plurimùm à percussione in motum tremulum & vibratorium actæ. 2°. ad sonum etiam gravissimum, qui percipi possit, producendum duodecim ad minimum, intrâ minutum secundum à corporis sonori partibus insensilibus edendæ sunt vibrationes. 3°. Quidquid in Aure internâ conten-tum vibrationes satis celeres in aëre illi inclusò fibris nerveis communicandas excitare potest, aut in ipsis fibrillis nerveis tales vibrationes immediate ciere potis est, tinnitus Aurium causa efficiens censenda est. 4°. Præter arterias sanguineas, nullam hîc causam percutientem agnosco cum recentioribus. Sed quo motu, quasnam percutiendo partes, tremulum ex-citent motum in fibris nerveis inquirendum. Non dilatatio-

nis motu; in febre siquidem intensissimâ decies intrâ minutum secundum pulsasse arterias nunquam fuit observatum, non in aërem motu dilatatorio totius tunicæ agit arteria, quo par est, modo ad sonum producendum, hic enim arteriæ motus impar est motui tremulo in aëre excitando. Restat ergo, ut arteriæ prætermodùm dilatatae aut fibras ipsas nerveas immediate feriant motu tremulo singularum partium suarum aut aëreas vibrent particulas eodem motui, quem in arteriis validè dilatatis, à dilatationis motu distinctum observant practici: neque dicant in diastole omnes tunicarum particulas extrorsum pelli motu communi ad axim denuò reversuras: idem namque accidit forcipibus, quæ manu pressæ & subito sibi relictæ, simili licet agitantur motu, sonum tamen non producunt. Prætermodùm dilatantur arteriæ Auris interioris à copiosiori ad eas determinato sanguine propter plethoram veram aut spuriam & propter denegatum solitum ejus appulsum ad alias partes & à præpedito ejus regressu ob compressas venas; & tandem obstructio ipsarum arteriarum eumdem effectum præstabit; hæcque multiplices causas ulteriores agnoscunt. Absquè impensiori arteriarum, imò cum minori quam in statu sano diastole produci tremulum insensibilium partium motum concipio, 1°. A particulis humorum rigidis acuminitatis, in tunicas, quasi scalpendo agentibus præsertim si anteà prætermodùm tensæ extiterint: huic sententiae favet, quod hystericae & hypochondriaci, in quibus modo assignato peccare solida & fluida jam in confessu est, fermè licet exsangues, huic morbo plurimum sint obnoxii, quodque plectro sebo inuncto nervos musicos frustrâ concuties, ad oculum licet in tota longitudine vibrari observentur, nullos edent sonos, dum scabro perfricati resonant: aliud autem inter utriusque plectri effectum discrimen non datur, nisi quod primum nervos totaliter dumtaxat succutiat, dum alterum & totum & singulas ejus partes ad vibrationes edendas promoteat nervum musicum. 2°. Ab inanitione subitaneâ illarum arteriarum, quâ liquida obliquo trepidare rivo laborant & inter-

rupto quasi filo progredientia insensibiles tunicarum particulas vibrare magis quam ab axi dimovere apta nata sunt. Ex dictis patet, cur tinnitus apoplexiæ modò sit prodromus, modò futuram prænunciet syncopem. Causas remotas, nisi ad sint plethoræ aut alterius vitii manifesta signa, ex analogiâ expiscari cogetur Medicus, quarum therapeiam silentio prætermitto, nè ultrà propositi limites excurrere videar. Hujus dissertatiunculæ prima stamina è proprio penu non esse de prompta fateor, & in eâ quædam non esse demonstrata, certiora forsan dabit sera dies.



QUÆSTIO DUODECIMA.

Motuum sympatheticorum causam efficientem assignare.

Sympathici motus ii dicuntur, qui in partibus plius minusvè dissitis, propter alteram affectam, exoriuntur; hos dari innumera probant exempla: concusso capite excitatur vomitus; acre quidquam illabatur naribus, contrahuntur validius respiratorii musculi; distractis ultrà modum periosteis fibris nerveis, motibus convulsivis concutiuntur omnes artus. Dies non sufficeret, si iis omnibus, ques à sympathiâ pendere volunt Authores, motibus enumerandis incumberem. Motus, quotquot in animali corpore peraguntur, à nervis tamquam præcipuis instrumentis pendent; sympathici igitur à nervorum inter se mutuo connubio necessario sunt desumendi. Ad horum harmoniam mutuumque concentum investigandum homines instigare debent, & rei dignitas & futuræ utilitatis spes: Verum huic operi se se accingenti, quot ruderæ,

dera, quot sentes amovenda occurunt, anatomicum adibit
edocendus, quo vinculo arcte adeò diffiti prouectantur nervi,
plurimorum ignarus recedet; qui potis erit detegere machi-
næ œconomiam, cuius partium unio altè jacet sepulta? Nec
feliciorem experietur sortem, cum investigandæ sedi causæ
motricis insudabit, nulla h̄ic scriptorum concordia; in plexi-
bus alii, alii in ganglionibus, in cerebro tandem eandem re-
fidere volunt quam plurimi; hos ultimos concordes si credas
circà mechanismum, quo vis motrix duos simul subit nervos,
alterum affectum, intactum alterum, decipieris certè; quam
magno molimine stabili fundamento astruere conatus est alter,
hypothesim firmis rationum momentis evertere videtur felici-
oris ingenii Vir. An meum has componere lites? Nequa-
quam hercè; quæ despero tractata nitefcere posse, relinquo,
nec meus audet rem tractare pudor, quam vires ferre recu-
fant.

Experientia compertum est, quod, stimulatis quibusdam
nervis aliæ magis, quam aliæ compatiantur partes. Omnes
violentos motus sympatheticos à stimulo pendere novimus,
cum, sublato stimulo, cessent illi motus. A manifestis ergò
ad abscondita procedendo causam occasionalem omnis motus
sympathici stimulum esse concludere licet; causam materia-
lem fluidum nerveum; causam verò efficientem summum esse
Creatorem lubens agnosco.

Monendum habeo, 1°. Quod, licet ex impositâ Provinciâ
de motibus sympatheticis tantùm egerim, me nequaquam lateat
alias dari sympathias. 2°. Dari effectus, quos nervorum sym-
pathiæ tribuere non pudet quam plurimos, quorum expli-
cationem ex muscularum origine, insertione, aut vasorum
tramite melius deducere novit horum non ignarus Medicus.

